

w

## Lectori beneuolo.

**E**xhibeo specimina duo actorum medicorum Edinburgensium, in latinum sermonem a me translata, ut partem plurimorum, que in illo libro cumulate redundant, commodorum, iis degustandam propinem, quibus ex ipso fonte omnia haurire nondum licuit. Agit prius de utilissima aliqua medicina ex mercurio dulci, que, suo modo noua, candide reuelatur; alterum de aurigine, cuius sat vulgata theoria ingenioso doctoque examini subiicitur. Adieci epistolam ad virum excellentissimum, cuius beneuole communicationi acta illa primum debedo. Dixi ibi aliqua tum de iis actis eorumque instituto, tum de argumentis iisdem, que laudatis in speciminibus tractantur, tum, data de aurigine dicendi occasione, de remedio aduersus ickerum CAMERARIANO, rectique usus & meas vindicias moderatissime, contra ultimos cl. GOELICKII conatus, epicrisi in commercii Norimbergensis excerptum nuperrime euulgatos, postremum denuo suscepit. Neque quicquam præterea opus habeo, nisi ut ad æquos, doctos, sapientes, iudices omnes & singulos, & ad hos versiculos pronocem, quibus cautiones meas medicas finiu:.

Si quis inexhaustæ cultor genuinus Hygeiæ  
Dogmate disideat, studiis sed iunctus amicis,  
Vel nutans dubitet, vel surroget altera nostris  
Consilio potiore potens, prescribat in albo  
Candidus expertusque, & limite terminet æquo!  
Frugiferum moderamen amans sine felle reponam.  
Si quis in aduersum index iniurius arti,  
Probra meditrinæ tribuens, altaria morbo,  
Commoda confundens nocuis, & recta recurvis,  
Exspuat ampullas, ventis mandamus & undis.  
Pars errare volens erret; qui febris amore  
Vritur, ardescat; bona munera numinis almi  
Qui renuit, careat! nostros non subruet usus.

ACTO-